Dissertatio inauguralis medica, de morborum gradu differenti, pro locorum diversitate ... / respondens Henricus Adamus Boehm.

Contributors

Boehm, Heinrich Adam.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joh. Christiani Hendelii, [1731]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/py3v6c3m

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

14

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MORBORUM GRADU DIFFERENTI, PRO LOCORUM DIVERSITATE,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXXI. D. DECEMB.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

RESPONDENS

HENRICUS ADAMUS BŒHM,

STUTTGARDIENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

PROOEMIUM.

QUod homines animo atque corpore pro varietate provinciarum atque gentium discrepent, attentis observatoribus ignotum esse haud potest, hinc quorundam mores sunt exculti & mansueti, aliorum babarri, efferi, asperi & indomiti existunt; aliquibus nationibus mens est lenis, flexilis, fida, constans, aliis magis crudelis, astuta, fraudulenta, fallax, mutabilis &c. & sic etiam corpora ratione mixtionis, proceritatis, consistentiæ ac roboris variant; quorsum non parum climatis, diætæ, regiminis, soli, imo ipsius consuetudinis ratio contribuit: & quod magis est, quædam gentes specialibus animi & corporis qualitatibus præditæ sunt, unde innotuere exclamationes, dieß oder jenes sey ein treues oder falsches, beständig oder veränderlich, weichlich oder hartes Volck: ob id diversarum pro-

vinciarum incolæ, in aliis locis,contrariarum præc. qualitatum,non facile diu morari, ſed ſedem mutare debent, ſiquidem ipſi medici aliquando ſalutari conſilio variis hominibus mutationem loci commendare ſolent: quid quod non raro accidit, ut incongrua mutatio animi ac corporis detrimentum ac deterioationem cauſetur, cum viciſſim conveniens converſio & variatio utriusque utilitatem & ſalubritatem pediſſequam habeat, nec tamen negandum eſt, quod juxta *Senecam in conſol. ad Helviam cap. 6. commutationem loci ſequantur incommoda*, quare in *ep. 28.* ait: *animum debes mutare,non cœlum* & cum *Socrate* quærit: *quid miraris nihil tibi peregrinationes prodeſſe, cum te circumferas*, nam juxta *Thomam a Kempis de imit. Chriſt. Lib. 1. & 9. multos imaginatio locorum & mutatio fefellit:* quid quod idem *Seneca ep. 2.* animi & corporis congruam quietem approbat & eloquitur: *bonam de te ſpem concipio, non diſcurris, nec locorum mutationibus inquietaris:* addit: *Nusquam eſt, qui ubique eſt:* quare non quælibet mutatio proficua & fructuoſa,ſed ſæpe periculoſa exiſtit: hanc inconſtantiam *Antonius Paduanus cap. 16. apocal.* ad Lunam æquiparare & eloqui ſolet: *creſcit, decreſcit, in eodem ſiſtere neſcit:* nec corpus ſemper locorum mutationem permittit, quoniam ejus qualitates in proceſſu vitæ & ſanitatis naturalis, ob intervenientes rationes ſenſibilitatis, conſuetudinis,gratæ aut adverſæ æſtimationis, educationis, uſitatæ relationis & familiaritatis &c. cum locorum certorum naturalibus facultatibus & proprietatibus magis aut minus conveniunt: ut interdum medici aliquos

in

in certis locis ac regionibus cum periculo vitæ degentes compellare debeant, *eripe te ad vitam tuam, aut animam tuam attendens, festina te eripe illuc. Genes. XIX. 17. 22.* ita enim passim Sacer Codex vitam & animam conjunxit, ut unum pro altero accipiatur, & quoniam anima non a vita, utpote subjectum dignius a prædicato inferiori pendere debet & potest, ita per authoritatem divinam vita ab anima provenire potest ac debet, id quod brevissima emphasi tantum annotare placuit, quam veritatem illi etiam ratione comprehendunt, qui integra ac sobria ratione gaudent & quorum operationes mentis non sub dominio corporis hujusq; affectionibus existunt, qualis opinio omnibus sobriis judicandi fundamentis contrariatur: Præterea vero locorum mutatio in aliquibus casibus perniciosa, in aliis fructuosa est, tam in morum, quam in vitæ, sanitatis & morborum œconomia: huc quadrat quod *Polybius Lib. 4. c. 21.* elocutus est: *Austeritatem morum Arcadibus conciliat aëris qualitas, quo in plerisque locis utuntur frigidiore & tristiore: cum ita sit natura comparatum, ut cœlo habitationis consimiles necessario omnes evadamus: hæc namque non alia causa ulla est, cur pro varietate nationum & ut quæque invicem longissimis distant intervallis, ita plurimum invicem moribus, formis coloribus, maxima denique parte institutorum mortales differamus.* Quemadmodum porro juxta *Platonem Lib. V. de Republ. vitæ moribus instituendis, intelligentiæque comparandæ non mediocriter habitationis temperies conducit*, ita secundum *Rases 17. cont. c. 6. tam in sanitatis quam morborum moderamine locorum observatio & compa-*

ratio multum conducit, hinc morbosas aëris mutationes observamus in quibusdam locis parum nocere posse, quas tamen damnosissimas semper alibi experiri solemus. Multum itaque refert in foro medico notitia locorum salubrium & insalubrium, siquidem per assiduam observationem comprobatum est, quod in uno loco homines firmiori & constantiori sanitate fruantur, ac frequentius & numerosius ad longævitatem perveniant, nec non rarius ægrotent & faciliùs ac citius convalescant, in alio minus, hinc non raro aliunde ad talia asyla valetudinarii confugiunt: *Temperie* enim *cœli corpus animusque juvatur* dixit *Ovidius II. Pont. 7. v. 71.* eapropter juxta *Xenophonem Lib. I. Pædias Cyri p. 29. 30. nunquam homines loqui desinent tam de morbiferis, quam salubribus locis: utrisque testes adsunt evidentes, nimirum ipsa corpora, ipsique colores:* & hac consideratione nititur disquisitio translationis ægrorum ex insalubri in salubrem locum, aut differentiæ morborum quoad gradus, per loca & regiones conspicuæ: unde *quædam locis & temporibus adscribimus*, annotante *Seneca Ep. 50.* quid quod referente *Tertulliano de Spectaculis cap. 8. & 14. loca quidem nos non contaminant per se, sed quæ in locis fiunt, a quibus & ipsa loca contaminari altercati sumus: de contaminatis contaminamur:* interea non oblivioni tradenda est observatio, quod quidam homines certis adsuescant locis, per multas causas cœteroquin infensis, in quibus alii haud ita diu incolumes ac sani vivere possunt, ubi nonnunquam morales rationes intercurrunt: hinc de nonnullis intra montes occlusis Helvetiæ intimio-

ris

ris incolis conſtat, quod, ſi in aliis regionibus vitam degere ſuſcipiunt, mox ſic dicta Noſtalgia aut ardente redeundi in patriam deſiderio affligantur: quid quod in ſerie obſervationum phyſico-medicarum, tales etiam recenſentur hiſtoriæ ubi homines in locis impuris, putridis ac cœnoſis negotia ſua tractantes, in aliis purioribus haud diu moram nectere potuerint; quo pertinet jocoſa illa hiſtoria, quam *Caſp. Rejeſ. Camp. Elyſ. juc. qu. 93. n. 7.* recenſet hiſce verbis: *exemplum ſcribit Levinus Lemnius Lib. 2. de occult. nat. mirac. c. 9. ruſtici cujusdam, qui Antwerpiæ cum ad officinam Aromatariam deveniſſet, animi deliquio ſtatim, correptus periclitari cœpit, in quo agone a proximo quodam, qui ſimilis eventus forſan notitiam habuerat, confeſtim admoto naribus fimo equino adhuc tepenti ac fumido animam revocavit: erat enim hujusmodi odoribus & equorum excrementis adſuetus, quibus horum hominum natura magis recreatur, quam ſuaveolentibus aliis & delicatis a quorum ſuffitu & odore non parum læduntur, ut aliquando conſternati in lipothymiam incidant.* Similis hiſtoria ad hunc titulum ſpectans commemoratur a *Solenandro Sect. 5. conſ. 15. n. 16.* Ex ſingulis hiſce colligimus, quantæ alterationes, nunc in meliorem nunc deteriorem gradum vergentes, expectandæ veniant a mutationibus, ut eapropter quaſi in proverbium abierit, omnem mutationem periculoſam eſſe: nos hoc loco annotamus illam morborum varietatem, quæ tanquam medica obſervatio attentæ diſquiſitioni commendat, quomodo quidam morbi in certis locis benigniores, leniores & tractabiliores exiſtant, ac in

aliis

aliis esse solent; unde mox porisma illud practicum inclarescit, quod homines in hunc, aut illum morbum valde inclinantes, talia loca maximo studio vitare debeant, in quibus ejusmodi affectus periculosiores gradus ac qualitates assumere possunt & solent: hæc observatio Practica, apprime selecta atque utilis, occupavit nostram sollicitudinem, ut eandem præsente Inaugurali dissertatione uberius & ulterius commendemus; quamobrem de MORBORUM GRADU DIFFERENTI, PRO LOCORUM DIVERSITATE agere constituimus, cui proposito ut Benignissimus DEUS propitio moderamine annuat, eidemque prosperos largiatur successus, est quod ardentissimis precibus flagitamus.

§. I.

PRimum illud intueri volo, *quid acerbi afferat ipsa loci commutatio*, hujus effati a *Seneca in Consol. ad Helviam c. 6.* allegati reminiscimur, dum præsenti titulo & themate *differentes nonnullas morborum* qualitates, juxta *locorum* diversitatem explorare & commemorare cogitamus: nam *aliter Ægypto, aliter Hispania; non eodem modo Ponto, dissimiliter Romæ*, dixit *Vitruvius in Lib. 1. c. 1.* addimus *Ramazzini* verba *Opp. p. 71. orat. 6. revera ut Celsus ait in Proœmio, aliud est Medicinam exercere Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia;* unde juxta *Hipp. de flatibus c. VI. t. 5. mutationes multæ fiunt in vita;* simili modo *Morbi variis* nationibus, regionibus, climatibus ac *locis communes, diverso* affligunt gradu, ut modo in *uno* loco *leniores*, mitiores & levio-

leviores, *alibi graviores*, acerbiores & periculosiores existan, cujus *diversitatis* veritatem in *facto* & in *causis* medici intelligere, indeque necessarias *utilitates* in *applicatione* practica formare, confirmare & commendare debent: quemadmodum juxta SYDENHAMIUM *Opp. Med. Sect. 2. cap. 2. p. 166. una quæque morborum non minus, quam animalium aut vegetabilium species, affectiones sibi proprias, perpetuas, ac pariter univocas, ab essentia sua promanantes, sortita est*, ita ad officium & dexteritatem Medici pertinet, ut scrutetur, *in quo loco tales* qualitates *naturales* reperiuntur, quæ ejusmodi Morborum *curam* sublevant & adjuvant; quare P. ZACCHIAS *Qv. Med. Legal. Lib. V. tit. IV. qv. 4.* & REINESIUS in *sua Schola JCtorum Medica*, aut sub alio titulo, FORTUNATUS FIDELIS in *Relationibus Medicis Lib. 1. Sect. 1. cap. 1. seqv.* & *Sect. 2. c. 1 - 4. locorum salubritatem* inquisiverunt & annotarunt, ut inclarescat, ubi *sanitas* sub causarum *naturalium* concursu *certius*, *firmius* & *constantius protectorium* reperiat, aut *minus:* & licet morbi *certis* plane regionibus *peculiares* observentur, qui propterea *Endemii* nuncupantur, quales ab antiquioribus & recentioribus medicis passim & longa serie indicati & explicati prostant, tamen & ipsi illi morbi *ex parte* in *proprio* suo loco *graves* sunt, qui *aliorsum* translati, paulo *mitiores* & tractabiliores evadunt, (testimonio *Scorbuti*, quando e *borealibus* in *meridionales* quasdam regiones migrat) ex parte vero in *alia* loca propagati *periculosiores* evadunt: In hac observatione non otiosi aut negligentes fuere *veteres* Medici, qui passim *extraneas* causas *naturales* indagarunt *quid* & *quantum* ad morbos *provocandos* & *exacerbandos* conferant, quare *Lo-*

corum, *Aëris*, *Aquæ*, *Temporis*, *Tempestatis*, *Ventorum*, Diætæ,&c. qualitates ac relationes inquisiverunt & indicarunt: inde denominationes morborum *Pandemiorum*, *Endemiorum*, *Epidemiorum* & *Sporadicorum* innotuerunt, quorum HIPPOCRATES & GALENUS crebram fecerunt mentionem, ut FOESII, GORRÆI, CELSI, FERNELII, SENNERTI aliorumque testimonia affatim confirmant: huc quadrant multiplicia effata *veterum* Medicorum, quæ quadantenus hanc animadversionem illustrant: ita HIPP. *de victu acut. §. 17. text. 9.* ait: *Sufficiens igitur & hoc signum est, quod maximæ mutationes eorum, quæ circa naturas nostras ac habitus contingunt, maxime morbos faciant: Lib. 1. de Morb. §. 20. text. 3.* loquitur: *Tempus a tempore differt, in quo ægrotant* & *Sect. 3. aph. 3. Morborum alii ad alia tempora bene aut male se habent & quædam ætates ad tempora alia & loca & aliud vitæ genus: Lib. II. Epidem. Sect. 1. text. 20. sq.* dicit: *in quietis ac constantibus temporibus & annis tempestive tempestiva præbentibus boni status & judicata facillimi morbi fiunt, in inconstantibus vero inconstantes & qui difficulter judicantur.* conf. *Sect. 3. aph. 8.* CELSI effatum huc referri meretur *Lib. 2. c. 1. pessimum ægro cœlum est, quod ægrum fecit:* PETRUS SALIUS *Comment. in* HIPP. *Libr. IV. de Morb. Comment. I. fol. 24.* profitetur: *ægri in uno loco plus, in altero minus affliguntur:* & MONTANUS *de Morbis Lib. 1. c. 4.* eloquitur: *morborum migratio per loca terrarum aut leniores aut graviores fiunt:* conf. P. ZACCHIAS *l. c. qv. 5.* addimus HIPPOCRATIS effatum *Lib. 6. Epidem. Sect. 3. text. 24. Mutationes omnes esse cavendas, quod semper periculosæ sint:* inde inclaruere *peculiares* indagationes, quales *ventorum*

spe-

ſpecies & gradus, *athmoſpheræ* qualitates, *tempeſtatum* conditiones, ad hunc vel illum morbum accerſendum & augendum contribuant? ſiquidem ſeorſum BRAVO *Reſolut. Medic. Part. 1. diſp. 3. reſol. 4. p. 93. ſq.* quæſtionem illam ventilavit, *utrum valeant venti noſtram immutare temperiem, ſuis diverſis temperiebus? vid.* ZACCH. *l. c. qv. 4. n. 8. 9.* ex hiſce colligere licet, quænam *regio* cum *qualitatibus* ſuis *phyſicis* ad morbos *incitandos*, *accelerandos*, *augendos*, aut *minuendos* conferant; qua notitia manuducente prudens & peritus medicus facile judicare poterit, quænam provincia, aut *quislocus* uni individuo *plus* vel *minus* ſalubris exiſtat: quam meditationem non parum illuſtrat aſſidua annotatio & indagatio *Morborum Endemiorum*, de quibus ex multis aliis tractantem allegamus & commendamus *diſſert.* LANGII, de hiſce morbis docte ac ſolide exaratam: ex hac *præliminari* conſideratione eluceſcit, quod quidam morbi per *varias* regiones migrent & vagentur, proinde vero in multis locis peculiares aſſumant *mores* quaſi & *qualitates*, quales peritus medicus rite agnoſcere & dirigere debet, ut huc etiam quadret dicterium: Ländlich, ſittlich.

§. II.

Præſens meditatio vix ſupervacanea dijudicari debet, quæ ad *Hiſtoriam morborum medicam* promovendam & illuſtrandam haud parum utilitatis affert: *hiſtoria namque morborum*, ut cum BAGLIVI verbis eloquamur *Prax. Med. Lib. 1. cap. 9. licet copioſa primo adſpectu videatur, re ipſa tamen egena eſt, ac inutilis; imo ob transcurſus quosdam permoleſtos in philologiam, narrationes ſupervacaneas, quæſtiones jejunas ſimilesque nugas, infirma prorſus ac perdita:*

dita: si excipias enim paucos illos observatores, qui casus ac historias medicas diligenter fideliter & ad vivum, prout ab ipsa rei natura procedebant, describendo, Medicinæ pomæria supponere ampliarunt, ea quæ reliqui adjecere falsam theoriam & hujusmodi ineptias spectantia, turbarunt potius, impediveruntque illius progressus quam indicarunt, aut promoverunt: Quare hæc observatio non modo ad *Diagnosin* & *Prognosin* multorum morborum *confirmandam* inservit; sed & *practicum* usum manuducit & suffulcit, ut pro *apto* vel *inepto* gradu & statu *loci* aliarumque circumstantiarum morbi tales congruis & *salubribus* consiliis & auxiliis tractentur & dirigantur: & quamvis non semper in *morbis locum mutare* queamus, attamen in quolibet loco *nonnulla conformia* adminicula conferre possumus, quæ pro morbi conditione ac qualitate *aliqualem subsidiariam* opem ferre solent; tanto melior vero *illa* est *occasio*, quæ *loci mutationem* in *morbis* ita promittit, ut ubique morborum immutatio in *meliorem* statum impetretur; hinc BARTHOLINUS *Cent. 5. histor. 45.* ait: *quid in aliis morbis* (antea de pestilentia locutus est) *loci mutatio possit, nec Galeno ignotum, qui Phthisicos ad Tabias ablegavit Lib. V. meth. c. 12. nec Plinio, qui ad sylvas mandavit lib. 24. c. 6.* quo loco ad CELSI effatum *Lib. 1. c. 3.* provocat, *neque ex salubri loco, in gravem, neque ex gravi in salubrem, transitum satis tutum esse*, consentit; quæ tamen assertio justam & *congruam interpretationem* requirit, ne illius authoritas, *fide* alioquin *multa* digna, lædatur: præterea præsens observatio planam pandit viam ad *simplices* ac *genuinas* morborum *causas* eruendas, quæ partim eosdem efficacius *provocant*, partim *sustentant*, confir-

mant

mant & exacerbant ; ex qua ſolida cognitione prudens medicus multa & fundata porismata colligere & formare poteſt, quæ eximiam utilitatem ad *præſervandos*, *mitigandos* & *curandos* tales morbos afferunt: præter hæc, præſens diſquiſitio multum commodi promittit in indaganda & indicanda *regionum* ac *locorum ſalubritate* & *inſalubritate*, quæ aliquando *generica*, interdum *ſpecialis* eſt, unde *non omnia* loca *omnibus* fatalia eſſe ſolent; hinc quidam homines ob *adſuetudinem*, velut inquilini, loci cujusdam *minus temperatas* ac *puras* qualitates magis perferre poſſint, quam *advenæ* peregrini ac *exterranei*, teſtimonio plurimorum Germanorum, quibus clima *boreale* valde infenſum ac *adverſum* eſt; conciliamus hac occaſione ZACCHIÆ effatum *l. c. qv. 5. n. 16. Si ergo aër laudabilis poteſt peſſimus eſſe, reſpectu cujusdam individui, poterit & illaudabilis etiam eſſe ſalubris reſpectu alterius*: ita viciſſim per innumera exempla conſtat, quod homines *temperatæ* athmoſphæræ adſueti, in *calidiori* regione & æſtuoſiori loco *haud diu vitam* protrahant & prolongent, exemplo *Germanorum*, qui ad *Indos* ſe vertunt; huc quadrat ratio de aëris conſtitutione in *inſula St. Thomæ* ſ. Madagaſcar, quod peregrini eo adventantes & aliquandiu ibi commorantes, non modo in ulteriori *corporis accremento* & augmento impediantur, quamvis pro ratione *ætatis ulteriori* tali ſui corporis confirmatione frui queant, ſed & ad *præmaturam* mortem præparentur: *vid.* ERASM. FRANCISCI in Oſt- und Weſt-Indianiſchen Luſt- und Staats-Garten *p. 952.* Ejusd. Luſt-Haus der Ober- und Nieder-Welt *p. 244.* hinc ex BAGLIVI *Fibra motrice cap. 3.* aſſertum notatu dignum allegamus: *cum vere perpetuo præ manibus mihi*

ſit' Hippocrates, animadverto nulli rei ipſum tantopere incubuiſſe, quam in obſervandis conſtitutionibus aëris cujusque temporis, quæ quantam vim habeant in novis producendis morbis, vel in mutanda eorum, quæ ordinario regnant, natura, quotidiana ac patientiſſima praxis & diligens circa minima morborum obſervatio abunde me docent: poro addit: *Etenim cujuscunque generis morbi feruntur earum conſtitutionum curſu, quæ ſuo tempore regnant: medici contra noſtrorum temporum nihil magis negligunt* (quod quidem hodiernis ævis haud dolendum ac querela aliqua declamandum eſt) *ac ſpernunt, quam obſervationem cujusque conſtitutionis &c.* porro *cap. 6.* dicit: *Longitudo vitæ non pendet tantum a bono corporis habitu, ſed etiam ex optimo uſu ſex rerum nonnaturalium, quæ ſi recte dirigantur, diu vivemus ac incolumes:* addimus illius ſententiam ex *cap. 12: putat vulgus, quod medici mutationem aëris in longis & difficilibus morbis indicant, non ad valetudinem & levamen, ſed pro remediorum inſcitia & quod aliud facere neſciant: & ſi tamen in hac opinione aliquando non erret, nihilominus plures etiam morbi ſtatim ac incipiant aëris mutatione i.e. puriſſima campeſtris & montani aëris nitro ac elatere* (hic author recte aëri elaterem tribuit) *ſtatim indigent, quia per aëris mutationem tantummodo removentur: præſertim ſi ægroti gravibus negotiis opperiantur, adeo ut tempus quieti, ſomno & comeſtioni congruum, iisdem in urbe deficiat; tunc enim per aeris mutationem conſueto curarum ſtimulo mens & corpus tonum* (hic corpori humano tonum, non elaterem, ut perperam hodienum fit, tribuit) *roburque ſalutare reſumunt:* quod hactenus *generica* meditatione de aëris mutatio-

tatione diximus, illud ad *reliquas* causas *naturales*, quæ ad *animalem* vitam pertinent, applicari debet.

§. III.

Pervulgatum est proverbium: *muta pedem, mutabis sortem*, aut *muta locum, mutabis fortunam;* nos impræsentiarum de *mutatione morborum*, horumque aut *mitigatione*, aut *exacerbatione* sermonem inchoavimus, inde inclarescit, quod aliquando in *melius*, quandoque in *deterius* mutatio vergat: cui observationi aliqui ad latus ponunt, quod diversis hominibus in quodam loco in *meliorem*, in alio in *deteriorem* partem *sors* cadat, in cujus annotationis examine ac scrutinio nos præsenti loco haud laborem impendimus, quoniam institutum nostrum minus attinet: præliminari commemoratione allegamus sententiam authoris libelli cui tit. *recherche de la verite*, ubi *lib. 2. cap. 3.* longiori discursu author *sanitatis firmioris* & *constantioris* consecutionem a loco mutato *spiritibus* ita dictis animalibus, eximio adscribit elogio: ast missis talibus *fabulis*, id indicamus, quomodo justa illa sit medica sollicitudo, *quisnam locus* vitæ ac sanitati plus vel minus *salutaris* existat: nec desunt etiam talia exercitata hominum ingenia, quæ citra acquisitam *medicam* institutionem ex sensu communi ac naturali *veras causas* mutationis ejusmodi comprehendunt: satis distincte ERASM. FRANCISCI in Erd-umgehenden Lufft-Craiß *p. 448.* scribit: Dannenhero ich die Veränderung unsers leiblichen Zustandes, oder der Gesundheit, so man bey verändertem Ort empfindet, anders nicht, als zum Theil der Bewegung, so man auf fernen Reisen geniſſet; zum Theil der mehrern Beobachtung der Mäßigkeit und anderer Gebühr,

wozu

wozu man sich in der Frembde noch mehr, weder daheim bemüßigt, zu schätzen pflegt: nichtweniger der Bequemlichkeit, so man an einem Ort besser, denn am andern, findet: grössesten Theils aber der reinen Lufft, womit man in der Ferne gespeiset wird, zurechne: Utut vero hæ meditationes *stricte* & *proxime* præsenti observationi haud quadrant, tamen nonnullis circumstantiis & respectibus thema nostrum illustrant: quam ob rem *prævia* adhuc quadam meditatione *Subjectorum* illorum qualitates significare lubet, quæ ad *talem* mutationem *morborum* in *leuiorem*, aut *acerbiorem* gradum & statum pro differentia locorum evenientem, contribuunt: neque quidem negandum est, quod *nonnulli* observentur morbi *singulis* subjectis valde *infensi*, sive in *hoc*, sive in *alio* fuerint loco, quales præcipue sunt, qui *specificum* alunt inquinamentum, aut *epidemii* existunt; quo referendi etiam sunt, morbi *corrupti* & *incorrupti*, qui in *quolibet* loco *essentialem* pravitatis suæ qualitatem complectuntur, sicut morbi *hæreditarii*, *consuetudinales*, *incurabiles*, ac *consummati* affectus ubivis locorum suas *proprias* affectiones suosque *principales* retinent gradus; præter *tales* vero morbos adhuc multi *communes* occursant affectus, qui pro diversitate etiam *subjectorum* in uno & altero loco *mitius* & *gravius* affligunt; unde non de *omnibus* locis *indiscretim* idem prædicamus: proinde vero adhuc ex observatione medica annotamus, quod ipsi morbi maligni, contagiosi, epidemici, non modo *ubilibet periculosi* & ardui existant, sed & quod sub *talium* morborum grassatione, unus locus præ altero magis salubris esse deprehendatur: reminiscimur hac occasione relationis LANCISII *de noxiis Paludum*

effu-

effluviis Lib. I. Part. II. cap. 7. §. 4. p. 134. quando ait: *Laudamus itaque inprimis, ut indigena vel hospes, cum procul ac longe a paludibus ire prohibetur, saltim in eo aut oppido, aut villa, in qua degit, ædes mutet, vel in ædibus cubiculum, unde de noxiis effluviis quam minimum teneatur haurire; potissimum vero caveat, ne janua illius domus, quam incolit, neve ejusdem conclavis, fenestræ recta palustrem sinum spectent; Amplissimum necessitatis ac bonitatis hujusce præsidii argumentum olim nobis præbuit post* HIPP. M. VARRO *de re rust. lib. 1. c. 5. qui cum Corcyræ esset exercitus, ac classis & omnes domus repletæ essent ægrotis, ac funeribus, immisso fenestris novis aquilone & obstructis pestilentibus, januaque permutata, cæteraque ejus generis diligentia suos comites ac familiam incolumes reduxit &c. &c.* porro *Lib. II. Epidemior. 1. cap. 3. §. 2. p. 154.* commemorat: *Salvus atque secundus status in tanta viciniarum miseriarum vicinia, ideo retentus est, inhabitatoribus Leoninæ civitatis ad meridiem, quia illorum domos, neque Tiberis alluvio, (quippe solo altiores) neque palustria effluvia, utpote a fossis pratisque longius prodeuntia inquinare voluerunt &c.* allegat insuper RAMAZZINI relationem *de Constitut. anni 1690. p. 25. n. 29. popularem illum morbum in humilioribus tantum locis, ac ubi stagnarint aquæ, sedem fixisse & non ampliora spatia occupasse: cum incolæ cæterarum regionum, quæ ab ejusmodi athmosphæra remotiores erant, (ut totus tractus supra viam Æmiliam versus colles) nunquam alias à febribus magis securos se vixisse meminerint:* Proinde ex observatione medica constat, quod morbus quidam, *tota* licet sua *indole gravis* & *periculosus*, uno tamen loco *mitior*, alio *acerbior* existat, ubique tamen periculo-

 sus:

ſus: hinc MEAD *in diſſert. de Peſtiferæ contagionis cauſa & remediis p. 10.* refert: *Morbum iſtum nomine olim ſudoris Anglici & Febris Ephemeræ Britannicæ (quod hinc oriundus vulgo crederetur) notum probabile eſt omnino peregrinum fuiſſe, nil nempe aliud, quam peſtem, cujus violentiam mitior cœli noſtri temperies imminuerat.*

§. IV.

Quod vero *qualitates* illas concernit, quæ ſubjecta diſponunt, quo in uno alterove loco *lenius*, aut *gravius* ægrotent, aut quod morbi in uno loco *mitius*, in alio *gravius* affligant, tunc reſpectus habendus *cauſarum* illarum *naturalium*, quæ in una regione magis *temperatæ* & ſubjectis congruæ ac accommodatæ, in aliis *minus tales* exiſtunt: aut quæ ad *certam morbi ſpeciem* magis *minuendam* aut *augendam* quadrant: in qua conſideratione variæ ſubjectorum qualitates advertendæ ſunt, juxta quas eadem a prædictis cauſis vel plus, vel minus, vel in *melius* vel *deterius* afficiuntur: ita reſpectu *Ætatis* ſubjecta juniora & adultiora videlicet *infantes* ac *ſenes* partim ob rationem *virium*, partim ob conditionem *humorum* & reliqui *habitus* corporis vel admodum *teneri, mollis* ac laxi, vel *ſtricti, rigidi* & exſucci, morbos in uno loco *levius*, in alio *gravius* patiuntur, quemadmodum loca *frigidiora*, *humidiora*, *turbulentæ* tempeſtatis, frequenter ac *ſubito* qualitate *frigoris* & *æſtus* variantia, in nimis *profundis* ac *montoſis* regionibus ſita, *impuro* aëre repleta, ejusmodi ætates *ægre* perferunt: ut & loca, in quibus *aqua impura* & valde *refrigerans*, aut multa *ſalſedine* commixta eſt &c. hiſce ætatibus haud ſalutaria eſſe ſolent: in *genere* vero ſciendum, quod loca, ob varias cauſas *neceſſarias* & *ordinarias*

narias evacuationes, *impedientia*, sufflaminantia & turbantia, iisdem ætatibus perinde *in* morbis & *extra* hosce *infensa* & fatalia existant: quod etiam valet de *talibus* locis, in quibus crebro athmosphæra torpido & *torpefacientе* aëre referta est, uti dicunt: Es sey ein mattes und ermüdentes Wetter, qualis est tempestas *humido-calida:* ut alias qualitates, quoad hunc respectum non nominemus, quoniam nobis sufficit & satisfacit, manuductionem suppeditare, quo ab aliis exercitatis ingeniis hæc meditatio *amplificari* & *applicari* queat: Porro respectus habendus est *Sexus*, cui ob varias rationes diversa loca *adversa* & inimica, imo ita efficacia sunt, ut non modo frequens *sanitatis offensio*, sed & *morbosæ* actualis invasionis *acceleratio* & *deterioratio* inde provocetur: tanto magis id in sequiori sexu annotandum est, qui alias ad *alterationes* ex ejusmodi *naturalibus* causis, certis locis magis & cum *discreta* qualitate familiarius subeundas proclivis est; hinc in quibusdam locis fæminæ crebriores & graviores Menstrui fluxus *turbas* & cum hisce *connexas* alias afflictiones morbosas experiuntur, velut decolorationes Mensium, hystericam passionem, convulsiones hystericas, fluorem album &c. huic observationi ad latus ponimus, illam *veterum* medicorum annotationem, quod in certis regionibus fæminæ *plus*, aut *minus steriles* & *fœcundæ* esse deprehendantur, quando vel *nimis frigidæ*, vel *nimis torridæ*, vel nimis enervantes aut vigorem naturalem *torpefacientes* regiones, & similium qualitatum diætæ, regiminis &c. conditiones, tales alterationes accersunt; in quibus locis fæminæ, antea *morbosis talibus* calamitatibus oppressæ, non solatium & mali sui emendationem,

ſed potius *exacerbationem* impetrant: præterea reſpectus habendus eſt ita dicti *Temperamenti*, nam homines *ſicci* & *frigidi* ſtatus corporis in locis ac provinciis *ſimilium* qualitatum *facilius* ægrotationibus ſubjiciuntur, & *gravius* decumbunt, quoniam humores *difficilius* progrediuntur, *colatoria* & *excretoria* viciſſim organa *ſtrictiora* & *rigidiora* evadunt, adeoque *ſalutares* & *congruæ* evacuationes *ægrius* & *impeditius* ſuccedunt: proinde homines quibus habitus corporis *laxior*, *mollior*, *tenerior*, *humidior* eſt, in locis *humidis* & *tepidis*, aut *humido-frigidis* ægre illibata fruuntur ſanitate, ac in morbis *gravius* laborant, nec tam facile convaleſcunt: idem ſentiendum eſt de ratione victus, certis regionibus familiaris, ſiquidem ſiccioris corporis ſubjecta haud commode Diætam largius & uſitatius *ſicca*, *craſſa*, *ſolida* & refrigerantia alimenta comprehendentem, perferunt, quemadmodum *melancholici* temperamenti homines difficulter *potum ſpiſſum* aut *ſpirituoſum*, ut & *aquam impuram* ac *ſalibus* inquinatam tolerant: quarum cauſarum *plures* occurrunt, quas cum *certis* hominum temperamentis *comparare* debemus: & quod impræſentiarum ſpeciminis & exempli loco de una alterave qualitate, *Temperamenti* reſpectum attinente, allegavimus & prædicavimus, id ad *reliquas* temperamentorum qualitates & varietates referri & applicari debet.

§. V.

Hiſce reſpectibus & qualitatibus adhuc *nonnullas alias* notatu dignas animadverſiones, in *ſubjecto* obſervandas & conciliandas, adnumeramus, & quidem qualitatem *Senſibilitatis individualis*, quæ ſane multum valet ad mor-

borum

borum *gradus*, pro *locorum* differentia *variandos*: quemadmodum enim in *genere* hæc qualitas valde contribuit ad morbos *invitandos*, confirmandos & *exacerbandos*, ita facile *talia* ſubjecta morbum in uno loco *mitius* in alio acerbius patiuntur: id quod præcipue in ſubjectis, *chronico* morbo laborantibus, *facile* demonſtrari poteſt: quare *hypochondriaci* in locis *frigidioribus* & diæta *craſſiori* fruentibus gravius mali ſui *cruciatus* ſentiunt, quam in aliis: perinde *purpurati ſimilem* affectus varietatem experiuntur, qualia ſubjecta vel *naturali* ſua conſtitutione, vel per *diuturnitatem* morbi, vel per uſum *remediorum* ad talem *ſenſibilitatem* diſpoſita fuere, unde vulgo individuali & *naturali* ratione *ſenſibilia* ſubjecta non modo morbos quosvis *moleſtius* & *gravius* patiuntur, ſed & viciſſim per *congrua* media iterum facile interdum *reficiuntur*, præcipue vero notandum eſt, quod adeo *ſenſibilia* ſubjecta frequentes *tempeſtatum mutationes*, aërem gravem, *montanum*, *ſylveſtrem*, *marinum*, paludoſum, *frigidum ægerrime* perferant, indeque in locis, hiſce qualitatibus præditis, valde offendantur, & *adverſa* valetudine affligantur: nec ejusmodi ſubjecta alienos *mores*, alias *conſuetudines*, aliosque *modos* in *diæta* & *regimine* facile ac diu perferre poſſunt; quamob rem hac qualitate plus aut minus inſtructi homines, quoad mutationem locorum ac regionum ſollicite dirigendi ſunt, quemadmodum hæc facultas in *omnes* œconomiam *vitæ* & *ſanitatis* concernentes circumſtantias, *magnam vim* habet, id quod fuſius *D.D.* PRÆSES *in diſp. de Senſibilitate Perſonali* demonſtravit: hinc homines *ſenſibiles exacte congruas* & *acceptas* requirunt *morales* & *phyſicas* qualitates, ſi *integra* ſanitate frui, ſi *infrequentius*

morbis obrui, si *mitius* ægrotare & si *facilius* convalescere volunt: quas circumstantias medicus prudens & peritus bene sibi perspectas reddere debet, quo in praxi medico-clinica singulis etiam *intricatis* circumstantiis consilio idoneo succurrere queat: Deinde eximia etiam *Consuetudinis* vis in præsenti disquisitione annotanda est, qua homines quidam *provinciales* qualitates cœteroquin satis *intemperatas* haud ægre perferunt & sub *duro*, agresti ac sylvestri vitæ genere satis diu vitam protrahunt, qui interrogati, cur sub tali crasso vivendi modo sani & longævi fieri queant? regerunt: wir sinds nicht anders gewohnt: quare *Erasm. Francisci* **in Lust-Hauß der Ober- und Nieder-Welt** *p. 244.* scribit: Von der Thomas-Insul einigen Bericht zu thun, wird dieselbe nicht leichtlich einen Europäischen Menschen beherbergen und alten: porro *pag. 245.* in margine indicat: Thomas-Insul will die Holländer lieber begraben als tragen: *p. 246.* addit: die weissen Leute so allhier wohnen, fühlen allezeit um den achten Tag ein Fieber: erstlich fangen sie an zu zittern, darnach Kälte zu spühren, und endlich die Hitze: Dieses Fieber aber währet nur zwo Stunden. = = Die Schwartzen gelangen allhie gemeiniglich zu einen hohen Alter, und leben offt über hundert Jahre. = = Hieraus schliesse ich, es müsse die Schuld nicht schlechterdings des Himmels seyn, sondern vielmehr unsrer Gewohnheit, so die zweyte Natur ist, daß alles was von Europäischen Boden dahin komt, sich nicht lange wohl auf befindet, weil sich gleichwol die Mohren allda halten können: & quamvis nobis non *præcipuus* sermo sit de relatione *Europæarum* provinciarum ad *exoticas*, tamen hactenus commemoratæ circumstantiæ præsentem observationem admo-

admodum *illustrant:* Denique in subjectis advertenda & concilianda est, ratio *Virium*, quoniam *singulorum* individuorum *mensura* virium haud omnium locorum qualitatibus respondet, dum homines *robusti* sub *duriori* Diæta, regimine ac climate, *firmiori* fruuntur sanitate, quam qualitatem dein suffulcit ratio consuetudinis & minoris sensibilitatis: ita sub *diversa* qualitatum naturalium *relatione* ad individua modo in *uno* loco vires *firmiores* & *constantiores* permanent, modo in *alio* loco magis *emolliuntur*, enervantur ac destruuntur: quæ cognitio judiciosum ac attentum medicum instruit, quid de morbis, in hoc aut alio loco affligentibus, quoad *prognosin* sentire & quoad *practicam* tractationem *auxilio* & *consilio* congruo disponere ac decernere debeat, ut huc quadret, quod VARRO *de re rustica Libr. pr. c. 5.* adserit: *Graviora*, ait, *quæ ex cœli terræque insalubritate oriuntur mala, per nostram diligentiam leviora fieri possunt.*

§. VI.

Præmissis hisce *generalibus* annotationibus & præparationibus, nunc ad *specialiorem* explicationem præsentis thematis & observationis nos convertimus & mox de *Febribus*, utpote *solenni* ac *principali* morbo, qui frequentia, apparatu & schemate ferme omnes reliquos morbos superat, indicamus, quod ipsarum *gradus* & status in *uno* loco *mitior* & tractabilior, in *alio gravior* & contumacior existat: & ita *malignæ* quidem febres tota sua *indole periculosiores* existunt, quæ vero aut in *uno* loco *sæpius* & *facilius* oriuntur, aut *majori periculo* grassantur: hinc non *infrequens* unius alteriusve regionis *commendatio* innotuit, quod videlicet rarius in iisdem *mali-*

gnæ

gnæ, *contagiosæ*, epidemicæ oriantur febres, quod distincta fruantur *salubritate*, sicut loca versus *meridionalem* plagam vergentia tali *sanitatis* & salubritatis privilegio gaudent, ut non modo tales affectus *raro* in iisdem obtingant, aut *brevi* temporis intervallo decurrant, *desinantque:* contra vero in locis *majori* solis *æstu* præditis & simul *humidis*, *paludosis*, aut impuro *intra montes* occluso, vel maritimo, crasso, *vappido*, nebuloso, sylvestri, tepido-humido, putridis inquinamentis commixto aëre usitatius fruentibus, *tales* febres *sæpius* oriuntur, & *gravius* ac *periculosius* decurrunt, unde ut plurimum *funestæ* existunt; quare homines, qui alias *impurum* habent corpus, quod *hac* qualitate nunc *magis* in ejusmodi affectus *inclinat*, si in talibus locis *diutius* commorantur, insuper impuro *victu* & *potu* fruuntur, accedente peculiari, per anni variantes *tempestates* excitata & communicata aëris *intemperie*, citius & facilius in *fatales* tales morbos incidunt, unde innotuit pervulgatum illud proverbium, Dieser und jener Ort ist der Teutschen Kirchhof: huc pertinet *illa* atmosphæræ impuritas, quando quædam loca, *lacubus*, *stagnis*, *fluminibus*, *canalibus* & *aquæ ductibus* circumdata sunt, in quam aquam multa *impura* & *putrescentia* subjecta projiciuntur, animalia *terrestria* in eandem præcipitantur, *aquatilia* etiam magno numero illico *moriuntur*, cloacæ eandem inquinant, præterea eximia congeries vermiculorum alatorum in talibus locis volitat, suis *excrementis* una aërem magis contaminat, ex illis aquis vero multa *effluvia*, *humida*, *salsa*, putida & *putrida* exhalant, incolæ proinde talium locorum cibo & potu non satis *congruo*, sed *crassum* chylum præbente, utuntur,

ut

ut una *tota* humorum maſſa *viſcidior* reddatur & ad ominoſas *ſtagnationes* & *ſtaſes* diſponatur, reliquæ etiam *extrinſecus* adventantes impuritates *firmius* in *tali* maſſa contineantur, *difficilius*, tardius & ægrius inde ſeparentur ac removeantur, per conſequens copioſius coacerventur, denique in *talibus* locis *certo* ac *facile* plurimis ferme annis *ſuſpecti* tales affectus febriles ingruant, ac multos homines jugulent; inde eſt cur Conſtantinopoli, ferme quot annis peſtis graſſetur, ut & in multis *Hungariæ* inferioris & ſuperioris diſtrictibus ac provinciis *periculoſæ* malignæ *exanthematicæ* & *dyſentericæ* Febres eximiam inter incolas ſtragem cauſentur: Præterea in regionibus *calidis* ac *vinoſis* Febres *eminenter acutæ* ac *continuæ* corripiunt, quæ vero ſub *convenienti* directorio medico *facile* & *cito* decurrunt, imo ob organorum *ſe-* & *excretoriorum* familiarem aperturam ac *permeabilitatem*, nec non humorum *raritatem* & *fluiditatem* frequentius *ſalutarem* exitum ſortiuntur; quales febres viciſſim in regionibus *frigidioribus*, aut *turbulentæ* valde *mutabili*, aut in *extremas* qualitates inclinanti tempeſtati obnoxiis locis tam quoad *typum*, quam *periodum* ac *decurſum* multis *irregularibus* affectionibus expoſitæ ſunt: quare in locis & climatibus *calidioribus* excretiones febriles *facile*, *largiter*, imo non raro exceſſive, in *frigidis* contra *difficulter*, *impedite*, inſufficienter ac incongrue procedunt: unde ex antiquiſſimis HIPPOCRATES, dein GALENUS, CELSUS, Medici *Arabes* & ſequaces, qui in *calidis* climatibus rei medicæ operam dederunt, *graviſſimarum* Febrium mentionem fecerunt, quæ non modo *vilioribus* remediis tractatæ, ſed & non raris exemplis *percuratæ* fuerunt, ut multi in *admirationem* ra-

plantur, quo modo tam *arduæ* Febres ad *ſalutarem* eventum perduci & promoveri potuerint! exinde vero non præcipitata concluſio formanda eſt, quod in regionibus *frigidis* & *temperatis calida* regimina & medicamina adhiberi debeant, quoniam multi adhuc reſpectus intercedunt, qui talem *contrarietatem* minus admittunt: ad minimum pro noſtri inſtituti ratione inde inclareſcit, quod febres *continuæ* in talibus locis *citius*, expeditius & *ordinatius* decurrant, ubi excretio præc. *peripherica* libera, facilis & ſufficiens exiſtit, quam in *aliis*, ubi *contrariæ* qualitates occurrunt: interim etiam ex obſervatione medica inclareſcit, quod ſi *frigidarum* regionum incolæ in *calidioribus* regionibus in febrem talem continuam, *brevi poſt* acceſſum ſuum in tales provincias incidant, *valde periculoſe* illa laborent, quoniam ex parte qualitas *humorum* & *organorum ſe-* & *excretoriorum* nondum proprietatibus *talium regionum* conveniens eſt, ni diuturniori mora in *talibus* provinciis hæ qualitates magis *congruant*, aut conformes reddantur.

§. VII.

Intermittentes Febres quod concernit, tunc illæ pro *varietate* locorum *eximie* variant, quemadmodum in provinciis *frigidis*, aëre *craſſo*, *nubilo*, *nebuloſo*, *humido*, frequenter pluvioſo, &c. præditis, *diætam* inſuper *craſſam*, *duram*, *crudam*, impuram, ſiccam, *ſpiſſam* ſervantibus, *regimine* etiam *negligenti*, incongruo ac *inordinato* utentibus, *ejusmodi* febres non modo *frequentius* corripiunt, ſed & *contumacius* perſiſtunt ac *longius* procedunt: præterea in *talibus* locis in proprio ſuo typo valde *variant:* hinc contingit, ut in illo loco, ubi incolæ *duræ* mentis,

more-

morosæ indolis, *immorigeri* animi, *pertinacis*, *obstinati* ac *refractarii* affectus mentis, proinde in *diæta* ac *regimine* prædictis qualitatibus instructi sunt, etiam febres intermittentes admodum *perversæ*, immorigeræ & *intractabiles* occurrunt: vicissim in locis *calidis* & *temperatis*, *comparate* rarius *tales* febres oriuntur, quid quod *regulariter* magis progrediuntur & *facilius* decurrunt & desinunt: ob id mira videri potest quæstio, quam medici quidam proponunt, an *tertiana* notha longior sit, quam quotidiana? observarunt enim *antiquiores* medici, in *calidioribus* locis arti medicæ operam qui dederunt, quod non raro intermittentes febres *brevem* decursum servarint: & quadrat sane huc, quod HIPP. annotavit *Sect. 3. aph. 16. in pluviosis anni constitutionibus febres fieri longas:* quando itaque quædam subjecta pro ratione suæ *diætæ* & *regiminis*, nec non roboris *ventriculi*, valoris quoad *concoctionem* & *excretionum*, præc. *alvinæ*, aliquam *proclivitatem* ad generandam *hanc* febrem possident, tunc illis regiones ante nominatarum qualitatum valde infensæ sunt, aut quæ subjecta *temperatæ* athmosphæræ ac Diætæ adsueta sunt, illa in talibus locis facilem suæ sanitatis alterationem & offensionem subeunt: huc spectant judiciosæ observationes febrium talium intermittentium, quæ aliquando *epidemiæ*, quandoque *sporadicæ*, nonnunquam *anomalæ*, contumaces, *refractariæ*, interdum in *quotidianum*, *continuum* & *biliosum* schema inclinantes annotantur, nec non disquisitiones, *cur* & *quibus* subjectis in *certis* locis tales febres valde *rebelles* & *intractabiles* existant: ubi præc. *conferri* meretur individuorum *vigor* in assumendis & resolvendis cibis, ut & in excernendis *crassis* impuritati-

bus, quæ ſubjectorum qualitas, quando *ſenſibilior* ac *debilior* extiterit, facile talem *cruditatem* in corpore admittit, ut dein febris hæc chronica ſuperveniat: Et ita judicioſus medicus inter alias animadverſiones, *individuorum relationes* ad certa loca inſtituet, quo *firmiori* fundamento in cognitione morborum fruatur: quæcunque præterea loca ſuis *naturalibus* qualitatibus in ſubjectis *ſenſibiliioribus* ac illis, quæ facile debilitari poſſunt, *ordinarias* excretiones turbant & ſufflaminant, illa ad febres ejusmodi chronicas accerſandas idonea perquam deprehenduntur: ubi inter alias indagationes phyſico - medicas ratio habenda eſt, *aquæ*, qua inhabitatores in victu & potu utuntur, nec non *panis*, aliarumque *eſculentarum* ſpecierum, quæ alicubi *frequentius* apponuntur (quemadmodum in nonnullis locis *fungi eſculenti*, ſive veſci *largius* creſcunt) inſuper *ſæpius* ingeruntur, qui vero, uti ad multos *alios morbos*, ita ad *tales* febres excitandas, perquam contribuunt, ut & *potus* reliqui, præc. cereviſiarii *ſpiſſi*, ſaturati, non bene fermentati & defæcati, porro aëris, ſituationis & diſpoſitionis territorii, ſoli, montium, alluentium aquarum, proximarum ſylvarum, peculiarium commerciorum opificiorum, aut operationum, velut præparationis ſalis, combuſtionis lignorum reſinoſorum, utpote pini, abietis, pinaſtri, *carbonum piceorum*, aut *foſſilium*, cremationis, uſtulationis & fuſionis minerarum craſſo, largo, impuro ſulphure, aut miaſmate arſenicali impregnatarum, præparationis *picis liquidæ*, quam nominant den Theer, aut ex abiete, aut ex pinu ſylveſtri, aut quando in uno loco multi *figuli* teſtacea ſua vaſa frequenter in furno excoquunt & *largiter lithargyrio* incru-

incruſtant &c. &c. & ita *nonnullis* locis intermittentes febres *ſingulari* & diſtincta ratione *valde* ſunt *familiares*, ſi præc. loca ſolo *paludoſo*, aëre *paluſtri*, nebuloſo & frigido, diæta *duriori*, crebro *piſcium* apparatu, frequenti *mutatione* tempeſtatis &c. prædita & inſtructa ſunt, id quod MURALTUS teſtatur in *A. N. C. Dec. 2. An. 7. obſ. 220.* ſub titulo : *febris intermittens ab aëre paluſtri inducta*, ubi in ſcholio notatu digna hæc profert *p. 415. magna in morbos omnes vis eſt Loci, quo circumfundimur per aërem* ὡς τῆς γῆς ὄχημα, *expreſſas enim rerum omnium vires ſuſcipit ab exhalationibus, transmittitque, quæ unicuique regioni propriæ ſunt, ob infinitam prope veritatem genii ſingulis peculiaris; pro ventorum afflatu, montium, ſylvarumque objectu diverſo, tum & alia atque alia ſoli, aquarum, foſſilium & plantarum natura ; quorum omnium cum uſus neceſſarius eſt, tum & expirationes aſſiduæ, tenuitate, benignitate, contrarietate, partes, humores ſenſim afficiendo & immutando, variam hominum indolem ut & valetudinem, præſertim vero longas ægritudines, quales ſunt endemiæ faciunt, fovent, dum cauſam præbent fixam permanentem ; hinc videas unamquamque regionem uti privata ſua commoda, ſic & privatos ſuos morbos habere:* porro diſſerit p. 416. *in ſalubritate primas tenet aër nativus, quodam enim quaſi fœderis jure inito ægris ſymbola ſua erogat viresque ſalutariter prodit, utut extra patriam profecti, reduces Larium tutela, a morbis ſæpius gravibus vindicentur, non raro tamen in ipſis focis graves dirique affectus ingruunt, qui præ ſuccorum acerbitate aliisque enormitatibus diuturnitatem pariunt, tuncque ſæpius nec proficit ad thermas, frictiones, lac, chalybem, ignem, cæteraque profligatæ valetudinis*

subsidia confugere, in eorum usu perseverare eum mutare, ποικιλίην *ægris tunc jucundam juxta & utilem sectando: Quid quæso Medico tunc sanctius ægroque gratius, quam loci mutatione novique aëris ceu pabuli accessu dyscrasias abrumpere humorumque ferociam demulcere: mutationem res omnes subeunt necessitate non majore, quam voluptate: nova sequi etiam prava pro innata melioris, absque mutatione non assequendi cupiditate semper juvat, plerumque vero & prodest, præsertim miseriis, quos plura manent futura bona. Nempe per omnia alia medicus frustra pugnat adversus morbum & ei se præbet* ἀνίνοον, *si contigerit locum fovere &* ὁμονοέειν τῷ πάθει: obsignat denique hunc discursum: *concludendum itaque pari ratione, quæ sæpius noxia sit loci mutatio, tandem non raro proficuam esse:* conf. ZACCHIAS *locis supr. alleg.* possemus hanc meditationem exemplis notatu dignis confirmare & illustrare, unum tamen ex multis allegabimus, ubi studiosus quidam hic loci per triennium in uno domicilio *infimæ contignationis* habitans, *quot annis intermittente* correptus fuit, posteaquam vero museum *mutavit* ac in *alium puriorem* ac temperatiorem locum se contulit, in futurum a tali insultu *immunis* vixit.

§. VIII,

Inter multos alios morbos impr. hoc loco mentionem facimus *Purpuræ*, sive simplicioris, sive cum *febre* complicatæ, sive *acute* decurrentis, sive *chronicæ*; hic affectus referente WELSCHIO *in diss. de novo Puerperarum morbo ipsis dicto*, der Friesel, anno 1652. primum *Lipsiæ* observatus fuit, quod præc. *Puerperas* invaserit, unde etiam illico pro *endemio* morbo habitus fuit: contigit vero, ut posthac vicinas *alias* provincias occupaverit, & tan-

tandem *longe lateque* disseminatus fuerit, ita ut in *Italiam*, *Galliam*, *Angliam*, *Hungariam* &c. progressus minus salubres fecerit: quid quod *eo usque* hic affectus ascendit, ac tanta incrementa capessivit, ut *malignam* plane indolem adsumserit, & interdum *Epidemicum* morbum constituerit, ejusmodi historias *malignæ* Purpuræ in *adultioribus* & *junioribus* commemorat BORELLUS *Cent. 1. obs. 55. A. N. C. Dec. 1. an. 6. 7. obs. 145.* Breßl. Gesch. der Natur u. Kunst *XV. Vers. p. 41.* & communis experientia comprobat; proinde in historia medica inclaruit, quod in *nonnullis* locis *olim* hic affectus *Purpuratus* plane *incognitus* fuerit, quod de multis urbibus imperialibus constat; sicut *Acta Berolin. Decad. I. Vol. 2. p. 1.* testantur, quod Purpura ante hac *Berolini incognita* fuerit: Hic affectus *specificam* suam habet indolem, *impuritatem* & qualitatem, quare *certis* regionibus valde *infensus* & interdum plane *fatalis* existit: siquidem alias non *strenuas* sanguinis commotiones & *orgasmos*, nec tamen *distinctum* in & externum frigus, non aërem nimis *siccum*, *turbulentum*, *humidum*, *nebulosum*, *crassum*, *torpidum* & quomodocunque impurum, nec *æstuosum*, sæpe & repente *mutabilem*, nec *ventos orientales*, aut ex austro in occidentem, aut ex *boreali* plaga in occasum vergentes facile tolerat, nec loca *paludosa*, multis *frigidis*, aut *diuturnis meridionalibus* pluviis obnoxia, nec *victum* & *potum crassum* ac *impurum* perfert, sed aërem & loca *temperata* ac *serena* requirit; & quando homines quidam, in *purpuratum* hunc affectum *inclinantes*, in talibus locis *diu* commorantur, facilius eodem morbo obruuntur, vel si nunc cum illo inquinamento infecti sunt, acerbius, *periculosius* & gravius eodem

affli-

affliguntur: inde eſt cur in provinciis *calidi* climatis ac ſubtili *aromatica* & *vinoſa* diæta fruentibus, purpurati *facilius* & *frequentius* vita priventur; quo etiam *illa* loca ſpectant, in quibus incolæ *laute* ac luxurioſe vivunt: nec hanc cenſuram ſubterfugiunt loca, quorum athmoſphæra multis *impuris exhalationibus* referta eſt: a quibus itaque locis *remotos* ſe tenere debent, qui purpurati facti ſunt, ne *periculoſius* hoc corripiantur affectu: in ſuccincta hac *purpurati* affectus relatione ad diverſas *locorum* qualitates nominanda & inquirenda etiam illa venit locorum conditio, quando forte alicubi *diurnus calor* & *nocturnum frigus*, nec non *certa cereviſiæ* aut *aquæ* qualitas *facile alvi fluxus* excitant, quale quid in præſenti affectu eo *citius*, *certius* & *gravius* corripere, majusque *periculum* cauſari ſolet, quæ ſingulæ circumſtantiæ tanto magis in ægris *ſenſibilibus* & ſeorſim in ſexu *ſequiori* advertendæ ſunt, inde eſt, cur in quibusdam locis gravidæ *copioſiora* in ſuo corpore colligant *inquinamenta*, cur puerperæ ob *luxurioſam* vitam, aut reliquas rationes *diætæ* & *regiminis* non modo facile & frequenter *purpura* affligantur, ſed & eadem *periculoſe* laborent, quo aliquando *peculiaris* quædam *tempeſtas*, *certis* anni temporibus familiaris, non parum contribuit, qualis aëris *diſcrepans mutatio* aliàs ad certos morbos aut *vagabundos* & ſporadicos, aut plane *epidemios* conferre ſolet: inde porro provenit, cur hic affectus *uno* etiam anno gravior & *periculoſior*, quam *altero* exiſtat: in quibuscunque vero regionibus aut locis, *tales* qualitates, purpuræ *conſtanter* adverſæ, magis *familiares*, aut *gradu majores* exiſtunt, in illis *ferme ſemper* iſte affectus *gravior* etiam exiſtit: quod etiam valet

de

de *illa* humorum *mixtione*, quæ ex *diæta* tenui ac *spirituosa* ubertatem impuritatum *salsarum* ac *sulphurearum* tenuissimarum ac *orgasmum* facile excitantium, sustentantium & exasperantium colligunt, unde hoc purpurato morbo correpti ægrius de- & facilius succumbunt.

§. IX.

Præter hæc morborum schemata proxime *Hæmorrhagiarum* mentionem facere lubet, quæ in certis locis *facilius*, in aliis *difficilius* succedere solent: in quibus itaque subjectis *quædam* Hæmorrhagiarum species & *salutares* & *necessariæ* sunt, illa *talia* suæ commorationis loca seligere debent, in quibus eædem *modice promoventur*, haud vero *turbantur:* quare seorsim periti medici scire & indicare debent, quænam conditio *aëris*, *diætæ*, *regiminis* similiumq; causarum ad harum Hæmorrhagiarum sublevationem & offensionem spectant, ut secundum hosce respectus locorum qualitates conciliari queant: sic v. g. in subjectis, quibus *promptus Hæmorrhoidum* fluxus *saluti* cederet, tamen *difficili* illarum successu laborant, talia loca conveniunt, in quibus præter reliquam *moderate mobilem* vitam, etiam *Hungarici* vini potu frui possunt, quamvis nunc longe lateque vinum illud obtineri queat, interim exempli loco commoditatem tantum loci significare placuit: sic in locis *temperate* calidis, aëre puro ac sereno præditis, diæta tenui, liquida, vinosa, aromatica & pura insuper aqua instructis Hæmorrhagiæ *facilius* succedere solent: quæcunque vicissim subjecta *prodigis* Hæmorrhagiis obnoxia sunt, illa talia loca vitare & alia seligere debent, quæ ob *varias naturales* causas superflui illi-

us fluxus ſtatum in moderamen quoddam convertere ſolent: & talibus cauſis ex parte nititur illa obſervatio, cur in certis provinciis homines *plus* vel *minus fœcundi* deprehendantur, ſiquidem reſpectu ſequioris ſexus, in uno loco negotium *menſium* magis legitimum, temperatum & *ordinatum* eſt, quam in alio: ita in locis frigidis, aëre turbulento, *frigido*-humido, *diæta craſſa* &c. qualificatis, *Hæmorrhoides* præc. ac *Menſes difficilius* ſuccedunt: quicunque porro homines *ſalutarium* quarundam Hæmorrhagiarum *plenaria morboſa ſuppreſſione* laborant, illa loca ſuo ſtatui congrua ſeligant & in iisdem aliquandiu moram & morem gerant: hinc Sileſiæ & nonnulla *Auſtriæ* & *Imperialis* territorii loca revocandis & promovendis talibus Hæmorrhagiis admodum *proficua* exiſtunt, modo de reliquo in *talibus* locis *incongruus naturalium* ſubſidiorum uſus evitetur: ex hac obſervatione fluit, cur in *uno* loco fæminæ *fœcundiores*, quam in alio exiſtant, dum in alio loco cauſæ *naturales* ſanitati & *Menſtruo* Proceſſui ſublevando magis ac in alio quadrant: inde etiam contingit, ut *nonnullæ* fæminæ, quæ aliquandiu *ſteriles* fuerant, quando pro hac imperfectione corrigenda ad *thermas* & *acidulas* confugiunt, *plus opis* ac utilitatis a longiori peregrinatione, ab uſu alterius *temperiei aëris*, aliisque *phyſicis* & *moralibus* cauſis aliquando impetrent, quam a decantatis & idoli inſtar cultis aquis ſubterraneis: quid quod experientia medica teſtatur, quod interdum homines ob *ſalutarium* Hæmorrhagiarum *obſtructionem* in *adverſam* valetudinem conjecti & poſt multorum remediorum *fruſtraneam* ordinationem tandem *prognoſtico* relicti, quando in *alia* ſe contulerunt loca, *priſtinæ ſanitati* reſtituti fuerint: ex multis

tis unicum tantum exemplum breviſſimis allegare lubet: virgo quædam 23. annorum ob *menſium obſtructionem* pertinaciſſima *molimina vomitus cruenti*, nullo remedio coercenda, ſubiit, quæ vero nunc *ſemi-hectica* mutationem loci inſtituit & itinere trium milliarium *aliam* urbem aliquandiu ſelegit, in qua poſt decurſum quatuor hebdomadum ſine ullius remedii uſu, cum recurſu menſium ad aliorum miraculum integram recuperavit ſanitatem: huc aliud exemplar allegamus, quod *Celeb. Stahlius in Pathol. med.* allegat, de viro qui ob *Hæmorrhoidum amiſſionem* nunc ſatis ardua *hydropici* affectus initia expertus fuit, qui vero, poſteaquam Viennam ſe contulit, illicoque *Hungarico* vino uſus fuit, cum nova *Hæmorrhoidum eruptione & fluxione* omnem metum ac inſultum aſcitici ominoſi affectus brevi temporis mora perdidit: quæ annotatio circa *Hæmorrhagiarum* conſtitutionem & relationem, cum diverſis locis inſtituta, in praxi medica non infimæ dignitatis eſt, adeoque illam hoc ordine brevi commendatione commemorare voluimus: cui obſervationi ad latus ponimus, parallelam hanc annotationem, quod non modo in uno loco præ altero *Hæmoptyſis* facilius & frequentius corripiat, ſed & cur hymoptyici in *uno* loco *ſæpius* & *acerbius* hac hæmorrhagia affligantur, in alio minus: quemadmodum ex hiſtoria practica conſtat, quod in locis montoſis, aut ubi *metalla uſtulantur*, funduntur & depurantur, ubi *ſal* excoquitur & *carbones foſſiles* uſurpantur, *facilius* & numeroſius *hæmoptyici* generentur, quam in aliis *purioribus* &c.

§. X.

Subinde in hac obſervatione conſiderationem *Phthi-*

ſeos inſtituimus, quæ in aliquibus locis *frequentius* in *aliis* viciſſim rarius obſervatur: quamvis quidem non negemus, quod *numeroſiorem* illius proventum *incongrua* in variis affectibus medendi methodus cauſetur, *multum* tamen tribuendum etiam eſt certis *locorum* ac *regionum* qualitatibus, ut ex hac veritate hiſtorica congruum duci poſſit conſilium, quo illi homines, qui ad *veram phthiſin* ſubeundam admodum ſunt diſpoſiti ac proclives, a *talibus* locis, quæ hunc affectum facile provocant, accelerant aut exacerbant, *remoti* degant & contra alia magis *convenientia* ſeligant: ex annalibus enim ac collectaneis ægrorum liquet, quomodo in variis, præc. *maritimis* locis, nec non *montanis metalliferis* provinciis multi *pectore* afflicti homines recenſeantur, qui *diverſis pectoralibus* morbis correpti occubuere; in quibus locis *phthiſicus* ille morbus *valde frequens* eſſe deprehenditur: quare ſubjecta *infarctu*, aut *actuali ulcere* pulmonum laborantia, *infenſa* talia loca brevi deſerere coguntur, quemadmodum notatu utique digna illa eſt obſervatio, ut, quando ejusmodi ſubjecta primum velut pedem in talium locorum atmoſphæram immittunt, mox *inſolitam* qualitatem & alterationem *reſpirationis* experiantur, unde colligere poſſunt, quod talia loca ipſorum ſanitati ſublevandæ *minus* conveniant: in qua animadverſione eadem obſervatio locum invenit, quod certorum locorum, aër, victus, aqua & reliquus potus, mores & conſuetudines phthiſicis, utpote *ſenſibilibus* perſonis *ægre* conveniant, unde variæ cauſæ ac occaſiones accedunt, ex quibus *minor* præſentis mali gradus augeri & *exacerbari*, aut *major* in *funeſtum* eventum præcipitari ſolet: quare *tempeſtiva* & *congrua* loci mutatio multis

phthi-

phthiſicis haud exiguam obtulit opitulationem & afflictionis ſuæ mitigationem: magna vero ratio habenda eſt in *phthiſico* malo conſtitutionis *atmoſphæricæ*, in qua innatantia & intermixta inquinamenta & effluvia ſalſa, acria, putrida, pinguia, ſulphurea, copioſa humida paluſtria, craſſa, vappida, mucaginoſa, terreſtria, nebuloſa, gelida, pruinoſa, fuliginoſa, metallica, &c. non modo *proclivitatem* ad phthiſin *accelerare*, ſed & ad vehementia & *lethalia* accrementa perducere ſolent: quam ob rem phthiſici ægri ejusmodi loca ſollicite vitare & fugere debent: & quamvis phthiſici aërem *paulo denſiorem* melius, quam admodum *tenuem* & rarefactum perferre queant, tamen quamlibet *impuritatem*, aëri interſperſam, ægre tolerant; hinc aërem *intra montes* occluſum & circumvallatum, *ſylveſtrum*, *humidum* &c. ægerrime admittunt: idem ferme ſentiendum eſt de *aliis pectoris* affectibus, in quibus præc. pulmones laborant: & ſi forte cauſæ *reſpirationem* affligentes ac impedientes *aliunde* provenerint, nihilominus pulmones *proximiorem* offenſionem minime tolerant; quam ob rem affectus *aſthmatici* perinde ſelecta requirunt loca, (de mutatione loci & aëris pro *aſthmaticis* ſalubri *vid. Baglivus de fibr. motr. c. 12.*) quoniam a prædictis & phthiſicis maxime infenſis qualitatibus aëris, regiminis, diætæ ſc. valde affliguntur & mali ſui incrementa patiuntur; quare ejusmodi patientes talia loca ſollicite *vitare* debent; hinc non raro *talium* ægrorum quærimoniæ percipiuntur, es ſey ihnen an ſolchen Ort das Waſſer, die Lufft oder Lebens-Art zu hart, zu rauh, zu ſchwehr ꝛc. ſimile quid aſſeverare poſſumus de hominibus, qui *Cordis polypo* laborant; in hiſce utplurimum Reſpiratio, ob *difficilem progreſſum* ſan-

guinis per *vasa cordis sanguifera*, valde *impedita* & laboriosa est; quare *aëris*, *victus* & *potus*, nec non *regiminis* ratio & relatio perquam *temperata* sit, si talia subjecta aliquandiu perdurare debent; ob id *quælibet illa* loca, quæ phthisicis inimica sunt, etiam polypo præc. cordis afflictis, valde sunt infensa, in quibus ejusmodi ægri *exacerbationem* morbosi sui status, aut efficacem dispositionem ad *subitaneam* mortem experiuntur: hinc non pauci medici, juxta CELSI *Lib. 3. c. 22.* commendationem, *phthisicis* loci mutationem ordinant, quæ pro *apta* qualitatum suarum *relatione* passim levamen quoddam manifestum conciliant; proinde etiam sciendum, quod *phthisici alioque* pectorali morbo laborantes, aut eo inclinantes in locis *altioribus*, aut *maritimis*, ubi aër vel *subtilior*, vel *humidior*, impurior & *inquietior* est, *diu* durare *haud* queant, adeoque *magis congrua* loca seligere debeant: multum itaque refert, quo *gibbosi*, *brevi* & *crasso collo*, *struma*, *arcto* ac *compresso* thorace præditi homines, congrua loca seligunt, ne ob *incongruam* ejus rationem hæ nominatæ suspectæ qualitates in *actualem* ominosam *morbosam* afflictionem ruant.

§. XI.

Quid varia locorum constitutio ad Affectus *hypochondriaci* provocationem, *exacerbationem* & *mitigationem* conferat, indagatu difficile haud est; siquidem illa annotatio notatu & inquisitu digna est, cur in locis *calidioribus*, malum illud *haud* reperiatur, in *frigidioribus* vicissim *frequentius* observetur; siquidem *aër crassus*, densus, impurus, *frigidus*, humidus, venti crebriores *australes* & *boreales*, *cibi* duri, crudi, multi, copia *piscium* præc. marinorum

norum & magnorum, *cruditatibus* ſuppeditandis aptorum, carnes *duræ*, *ſalitæ*, aliaque *ſimilium* qualitatum alimenta, *potulenta* pariter *craſſa*, male defœcata, ſaturata, hart, ſchwehr, unrein, ſaltzigt Waſſer, aqua quæ *multum limoſæ* & tophaceæ materiæ complectitur, vina craſſo ſulphure, multo *terreſtri* principio prædita &c. vitæ genus *rude*, *incongruæ* corporis commotiones, vel in *defectu*, vel *exceſſu* peccantes, ad illius morbi geneſin *multum* contribuunt: quicunque itaque *non firmo* corpore, ac ſufficienti *vigore* naturali, viriumque *præſtantia* inſtructi, ſed *animo corporeque* valde *ſenſiles*, impatientes, immorigeri, in *diætæ errores* valde proni &c. ſunt, hi loca *talia* curatius *fugiant*, ne vel hoc malo corripiantur: vel ſi illo correpta ſunt, in eodem *confirmentur* ac in *acerbiorem* illius gradum & ſtatum conjiciantur: & quod magis eſt ſunt ſane *hypochondriaci* non modo *valde ſenſibiles* & *imaginarii* valetudinarii, ſed & a *levioribus* cauſis, diverſas locorum qualitates concernentibus, *facile* & eximie *alterari* ſolent, quemadmodum ad rationes *aëris*, loci, *ſitus*, mutationum *tempeſtatis*, *ventorum*, æſtatis & hyemis, victus ac potus, aquæ ſeorſim, peculiaris diætæ conditionis, morum, conſuetudinum &c. perquam ſenſibiles eſſe deprehenduntur, quibus eapropter *exacte congruæ* locorum qualitates ſeligendæ & commendandæ ſunt: Et quemadmodum interdum *Scorbutus* & affectus *hypochondriacus* ſe invicem comitantur & conſequuntur, ita ſeorſim variorum ſubjectorum *peculiaris* diſpoſitio ad *acres* & *impuros* humores generandos & colligendos inquirenda & dijudicanda erit: ita enim in variis ſubjectis ſervata cœteroquin *temperata* diæta, ob frequentes ventriculi & *concoctionis* turbas, ob

viſci-

viſcidiorum humorum conſiſtentiam, ob quam dilui, reſolvi & ad congruas *ſecretiones* & *depurationes* præparari *haud facile* poſſunt, ob organa *colatoria* ſicciora & *ſtrictiora*, ob difficilis & *inſufficientes* impuritatum *evacuationes*, maxime per *peripheriam* corporis &c. maſſa ſanguinis in *legitima* mixtione & conſiſtentia multas patitur *offenſiones*, ob quas eadem ſubjecta facilius ad *ſcorbuticam* inquinationem diſponuntur; & dum ob *ſtrictiorem* habitum corporis, ob *ſicciorem* humorum craſin, conſiſtentiam aliasque cauſas facile impuritates *coacervantur* & *acris* intemperies acquiritur, ita talia ſubjecta, omnia *illa* loca ſollicite *vitare* debent, quæ ad *evacuationum* ſalutarium & neceſſariarum *turbas* ac *impeditos* ſucceſſus, nec non humorum *incraſſationem*, ſolidarum vero partium firmiorem *obrigeſcentiam*, impuritatum cœteroquin ex aëre, nec non cibo ac potu *copioſiorem* ingeſtionem ac collectionem, contribuunt, ne *proclivitas* ita ad *ſcorbutum* in iisdem locis *magis* promoveatur & ad ipſam *actualem* hujus infectionis originem perducatur: quam ob rem etiam contingit, ut incolæ talium locorum, quibus ſcorbutus vulgo *endemius* eſſe fertur, *puriorem* aërem ſeligentes, *temperatiori* tempeſtati ſe ſubmittentes, diæta etiam ac reliquo regimine *convenienti* fruentes à ſcorbutica tali lue *immunes* vivant, ac viciſſim in aliis locis, quibus affectus hic *familiaris* eſſe *haud* ſolet, pro reliqua *propenſione* in talem inquinationem, *perverſis* rerum ſic dictarum *nonnaturalium* qualitatibus fruentes, in idem malum incidere ſolent: quare SENNERTUS *Prax. Lib. 3. Part. 5. Sect. 2. c. 1.* dicit: *impoſſibile non eſt in aliis quoque regionibus Scorbutum generari, ſi ſcilicet locus ſit maritimus & uliginoſus vel alius; ubi*

rarus

rarus ſalubris aquæ potus, vel aër aut victus ratio prava cauſam huic malo ſuppeditant: addit porro: *ut ita quocunque in loco cauſa huic malo generando & præc. victus ratio ſuppetit, ibi generari poſſit ſcorbutus: ſicut & hodie non ſolum in Germania inferiore, ſed & in Miſnia, Bohemia, Moravia, Sileſia, Boruſſia, Haſſia & locis finitimis non raro reperitur: imo quandoque etiam in Italia, Gallia, Lotharingia & aliis regionibus, ut ex Eugaleno, Foreſto, Fonſeca & Piſone videre eſt:* ſic *Scorbutum Auguſtanis non parcentem* allegat RIEDLINUS *Lin. Med. An. 2. Septembr. obſ. 16. p. 442: Scorbutus mediterraneus* commemoratur in *A. E. L. Suppl. 6. p. 228. 229;* de *Scorbuto ſuper mare degentium vid.* RIEDLINUS *Cur. Med. 138.* de *Thuringia Scorbutica conf. A. N. C. Dec. 2. an. 7. app. p. 142.*

§. XII.

Præterea aliquibus ſubjectis, animo & corpore *ſenſibilibus*, certa loca etiam quoad tolerantiam & relationem erga *externum* corpus infenſa ſunt; inde exclamationes ac querelæ: es ſey ein hart und rauhes Land, es habe eine ſcharfe Luft ꝛc. ſiquidem in talibus locis ejusmodi homines in *ſuperficie* ac cute frequentem *effloreſcentiam* puſtularem ſerpiginoſam, ſcabioſam, ulcerascentem, furfuraceam, crebras *inflammationes* peripheriсas, cutem aſperam, ſcabritiem, pruriginem, varos in facie, puſtulas labiorum, excoriationes ac fiſſuras cutis, glandularum capitis & colli inflationes &c. experiuntur; inde eſt, cur homines in locis, *puro aëre*, *limpida aqua* aliisque temperatis qualitatibus præditis, educati, quando in locis aliarum qualitatum aliquandiu commorantur, *dyſcraſiam* eminentem humo-

rum obtinent, quæ variis *morbosis* effectibus & consecutionibus sese exserit: ita etiam in nonnullis locis efficaciores & numerosiores causæ ad *spasmos*, *rhevmatismos*, *catarrhos* & *congestorios* motus excitandos deprehenduntur, quidam homines in certis locis *acerbiores oculorum* afflictiones subeunt, ut propterea talem locum illi, qui hisce affectibus facile subjiciuntur, sollicite mutare & vitare, quin potius alia, *magis congrua*, loca pro *sanitate* & ad præservandas & *abrogandas* morbosas tales afflictiones seligere debeant: in quibuscunque enim locis tales causæ naturales & *copiosiores* & *potentiores* deprehenduntur, quæ aliàs nominatos hosce affectus sustentare, confirmare & exacerbare solent, illa ab ejusmodi subjectis *fugienda* rectius sunt, quippe quæ disquisitio multum utilitatis in rationali medicina fœneratur: huc etiam referimus nonnullos homines, qui facile & frequenter *colicis* cruciatibus & *flatulentis* molestiis vexantur, eoque à *certa* qualitate *aëris*, præc. *sensibilius* frigida, aut *subitanea commutatione* tempestatis *calidæ* cum *frigida*, quando *per diem calor* major, *noctu* vero *frigus* sensibilius existit, nec non quando *aqua*, aut *refrigerans* & reliqua *diætæ* ratio & conditio ita comparata est, ut facile inde prædicti affectus exacerbentur, disponuntur ac valde afficiuntur; annumeramus ejusmodi observationibus adhuc illas, quando *capite*, *oculisve* sensibiles personæ ab aëre *montano* & *sylvestri* facile eximie alterantur, ut *cephalalgiæ*, *odontalgiæ*, *catarrhi*, *oculorum* afflictiones, *colli* & *tonsillarum* morbosæ affectiones, *rhevmatismi* inde cito oriantur, unde personæ, harum causarum gnaræ, mox aërem illum accusare

cusare sciunt, es sey eine Wald-und Berg-Lufft: quo magis itaque ejusmodi homines *sensibiles* & talibus affectibus jam per *adsuetudinem* obnoxii sunt, eo magis *talia loca* & talem atmosphæram *mutare* & evitare debent: Addimus hisce observationibus adhuc hanc, quod in climatibus, aut locis *frigidis* & *humidis* homines *rhevmaticis*, *arthriticis*, *podagricis*, *catarrhalibus* affectibus obnoxii, *frequentius*, *acerbius* & *diutius* hisce calamitatibus affliguntur, ut ea propter sedem mutare, si possunt & temperatiorem ac serenum magis aërem & locum seligere debeant: siquidem attentis observatoribus haud incognita esse potest veritas, quod talibus *morbosis* calamitatibus in uno loco *levius*, in alio *gravius* laborent: cum quibus annotationibus illæ etiam observationes consentiunt, quod in certis locis, *peculiares* plane morbi, *externum* corpus affligentes, oriantur: velut *Cancer Uteri*; de quo JOH. RAYM. a FORTIS *Tom. I. Cent. 4. consult. 65. p. 445.* refert, quod *hoc mali genus* ob *aëris* rationem in Asia *frequens* esse soleat: ita in quibusdam locis, ubi mineræ *funduntur*, quæ præc. *impuro sulphure* ac *arsenicalibus* inquinamentis præditæ sunt, incolæ variis *cutis defœdationibus*, efflorescentiis pustularum, *acerrime* prurientium, nec non *ulcerationibus* mali moris, serpentibus & erodentibus affliguntur, id quod tanto magis in *advenis* & *peregrinis* horum locorum obtingit, qui illius atmosphæræ nullam adhuc *adsuetudinem* acquisiverunt: ea propter etiam evenit, ut in locis *impuris*, talibus halitibus aut effluviis inquinatis, homines non modo *impuritate sanguinis* laborent, præc. *lymphæ acrimoniam* possideant, sed & in *crebras* tales *cutis* afflictiones *ulcerosas* inci-

 dant,

dant, nec non e *minoribus* talium efflorescentiarum initiis, *graviora* experiantur incrementa, ut pro diversitate corporum ulcera talia facile *malignas* induant qualitates: permovit hæc observatio cautos ac peritos medicos & chirurgos, ut sollicite circa ulcerum deligationem prohibeant, ne *negligentius* & *liberalius* aëris, tanto magis impuri, accessum admittant: ex multis testimoniis pauca tantum hoc loco allegamus: quod *Bononiæ levia vulnera capitis lethalia evadant, quæ Romæ facilius curantur*, & *tibiarum vulnuscula vix Romæ curentur, quæ Bononiæ facilem admittunt consolidationem* testatur BALD. RONSSEUS *de Scorbuto cap. 1.* analogas observationes allegant PARÆUS *Lib. 10. c. 8.* GREG. HORSTIUS *exerc. 1. de Scorbuto th. 5.* CAMERAR. *Syll. memor. Cent. 4. part. 58.* WEPFERUS *obs. p. 40. de aëre frigido a vulneribus capitis arcendo* &c. ex hisce observationibus perinde facile colligere licet, quænam loca ad diversorum hominum *sanitatem* & *integritatem* externi etiam corporis, plus vel minus conferant.

§. XIII.

In hac morborum, hactenus recensitorum, serie reminiscimur adhuc *Spasmorum* quorundum, *externum* præc. corpus affligentium, velut *Arthriticorum*, *Ischiadicorum* & *Podagricorum*, qui non modo in certis locis *facilius* homines corripiunt, sed & *acerbius* affligunt, quo præc. *aëris* & *diætæ* ratio multum contribuit, quando videlicet atmosphæra usitatius *frigida* & *humida* qualitate instructa est, qualis ad *omnium* evacuationum *salutarium* turbas ac *impedimenta* multum contribuit, quæ proinde ad *excitandos* & *exacerbandos* tales affectus eximium conferunt: id

quod

quod tanto magis de *transpirationis* vel *insensibilis*, vel paulo auctioris perversione valet: inde etiam in experientia medica innotuit, quod ejusmodi affectibus obnoxii in uno loco *infrequentius* & *mitius*, in alio *sæpius* & *acerbius* iisdem laborare soleant; quare non raro ad *mitigandum* illorum morborum gradum & statum *mutatio loci* ordinatur: hanc observationem, utpote certam ac indubiam, imprimis confirmare possunt homines, qui certis *officiis* operam dant & nunc in *uno*, nunc in *alio* loco aliquandiu moram nectere debent: quare *Legati*, quibus hi & similes alii affectus non *infrequentes* sunt, sub negotiis & expeditionibus suis, in *uno* loco *salvi*, sani ac incolumes vivunt, in *alio* loco sæpe *adversa* valetudine conflictantur, adeoque revocationem & mutationem loci optant & desiderant. Et ita etiam plures alii dantur *chronici* morbi, qui in nonnullis locis *leniores*, in aliis *graviores* existunt, velut *Hydrops ascites*, vitia *Hepatis* & *Lienis*, *tympanites*, *œdemata*, *calculus* &c. quemadmodum Amstelodami & aër *humidus*, *frigidus*, locus paludosus, atmosphæra impura, victus crassior &c. existens, ejusmodi affectibus *infensus* ac *inimicus* est, inde locutio innotuit, an diesen oder jenen Ort, findet dieser oder jener Krancke seinen Kirchhof: huc referimus testimonium BOHUSLAI BALBINI qui in *Miscellaneis historicis Regni Bohemiæ cap. V.* referentibus *Act. Erud. Lips. An. 1682. Mens. Aug. p. 241.* recenset: *Reges Bohemi quotiescunque ægroti, vel in Austriam, vel in Hungariam, aliove se deportari jusserunt, brevi obierunt: contra qui infirma valetudine in Bohemia advenerunt plerique sanitatem recuperarunt, idque constare exemplis Sigismundi, Maximi-*

liani II. Matthiæ & Ferdinandi III. Cæsarum ac Annæ Conjugis Matthiæ: quo asserto author *salubritatem Bohemiæ* testari conatur: addimus *Wedelii* suffragium, qui in *exercit. medico-philolog. Cent. 2. dec. 5. exerc. 8. p. 45.* ait: *mutationes aëris duplicis generis sunt; aliæ morbificæ & symptomaticæ, causæ locum tenentes: aliæ salubres & salutiferæ, curationis vicem præbentes: faciunt huc & mutationes locorum, quo de* PLEMPII *observatio memorabilis est, Hispanum Juvenem in Belgium, Senem vero Belgam in Hispaniam delatos salubriter transferri, ætheris illa salubri mutatione, id quod & de aliis verum est, de Togatorum valetudine tuenda. c. 2. §. 9. p. 33.* Hac etiam *locorum* & *aëris* qualitate nititur ex parte e numero *naturalium* auxiliorum & mediorum, *adversa* & *bona* valetudo, *brevis* vita & *longævitas:* secundum quam cognitionem *mutatio* locorum institui potest; ob id etiam satis sæpe, præter superius allegata suffragia in commemoratione *causarum* Longævitatis aëris salubritas atque temperies allegatur: in *descriptione Insularum & regionum Americanarum Angliæ Regi subjectarum p. 192. 193. (conf. Act. Erud. Lips. An. 1689. Mens. Martii p. 151.)* recensetur, quod *Insulæ Bermudes s. æstivæ ob aëris serenam temperiem longævos alant incolas, qui solo senio confecti moriuntur:* porro FRANCISC. PLACENTIA *in Chorographia Archipelagi p. 346. (conf. Act. Erud. Lips. An. 1688. Mens. Octobr. p. 519.)* enarrat: *In quibusdam Archipelagi locis, longævi fiunt, beneficio temperati aëris:* eadem *Act. Erud. Lips. An. 1689. Mens. Novembr. p. 554.* ex *Valvasoris Gloria Ducatus Carniolæ* referunt: *Aërem Carniolensem robustum satis ac vegetum corporis habitum*

bitum indigenis conciliare, vel inde evidens est, quod ibi Senes, utut nonnunquam centenarii prope, raro tamen plane canescant, sed plerumque externam servent speciem, ac si vix 50. aut 60. annos explevissent; quodque regulariter per omnem fere carniolam plures per annum nasci, quam denasci soleant: Præsentem disquisitionem obsignamus cum asserto & testimonio BURNETII *in Telluris Theoria Sacra* quando *Lib. II. cap. 3. p. 90.* disserit: *vitæ nostræ brevitatem ab inæquali anni forma & intemperata vi frigoris & caloris alternatim impetentium provenire sentio: huic sententiæ favere videtur experientia hodierna cum in quibusdam Insulis, ubi cœlum temperatius est & æquabilius diutius vivatur, quam in cæteris terræ regionibus: & in quantum fruuntur cœlo Paradisiaco, tanto longioris vitæ Privilegio gaudent: Hæ præ omnibus terræ regionibus, quod sciam, Insulæ, quas appellant Æstivas s. Bermudas notissimæ sunt, ob incolarum longævitatem: neque hic tantæ longævitatis ratio alia inveniri potest, præter insignem illius cœli æquabilitatem, quæ tanta est, ut nulla fere sit differentia tempestatum anni. Et e contra in Virginia, quam appellant, licet non multum remota, ob maximam inæqualitatem cœli vitam trahunt plerumque brevem & valetudinariam. Eidem sententiæ respondet eorum experientia, qui cum mutaverint clima valde calidum pro frigido & e contra, vim corporis & vitam imminutam sentiunt.* Ita notum est Batavos, qui per notabile tempus, potissimum tenerioris ætatis, in partibus longinquis transegerunt, *domi reduces valetudine minus firma frui, vitaque breviori; quales extremas mutationes incommodare vitæ existimo, non tantum ob mutatam*

tatam ſanguinis temperiem, ſed quod habitus corporis, tonusque partium ſolidarum, fibrarum & viſcerum, certo modo diſpoſitus juxta actionem unius cœli cum alterius & multum diverſi ſubit actionem, pervertitur, partesque officiis ſuis fungendis in regione corporis, ineptiores redduntur: Singula hæc teſtimonia non modo illam veritatem comprobant, quod homines in *uno præ alio* loco *firmiori* gaudeant ſanitate, ſed & quod pro *diverſitate locorum* nunc *rarius*, nunc *frequentius*, modo *mitius*, alibi *gravius* ægrotent, quam obſervationem hactenus quodammodo commendavimus & explicavimus: aſt ne limites transgrediamur, dum modo inſtitutum noſtrum fuit, ad ulteriorem hujus obſervationis diſquiſitionem viam parare, ita in præſenti hac ſuccincta deductione acquieſcimus: proinde etiam DEO Ter Optimo Maximo, devotiſſimas laudes gratiasque tribuimus, quod ad hujus thematis explicationem divino ſuo adjutorio nobis ſuccurrere voluerit; rogamus inſuper Eundem, ut hunc laborem benedictione ſua protegat & proſequatur, quo eidem exoptatus ſalutaris affulgeat uſus atque

FINIS.